

accuratione pertractare, & a corruptelis, quibus Ontologia cum primis hodiernum scateret, a) liberare oportet.

- a) Tanta est hæc corruptio, ut non pauci eruditorum in id inde delapsi fuerint extremum, ut omnem Ontologiam e numero scientiarum eliminandam duxerint, severanimis sententia, v. Ratio Præl. Wolff. de Metaph. §. 1. conf. si placet, Observationum mearum & Emendat. Metaph. Specimen I, in præf.

§. V.

Medelam petierunt III. Leibnitius & Celeberrimus Wolffius ex demonstrationibus Mathematicis & Algebra; ita tamen, ut mediante abstractione & argumentatione a specie ad genus generales demonstrandi & inveniendi in omni Philosophia regulas quærendas duxerit Wolffius.

- in Comment. §. 1. male igitur Autor Dialogi Germ. de Scriptis Eristicis, Dn. Buddei & Dn. Wolffii p. 14. huic V. Cl. tribuit, sine abstractione Methodum Mathematicam aliis scientiis applicare voluisse.

§. VI.

Præterea nunc controversiam de discrimine methodi Philosophicæ & Mathematicæ; a) quæstionem de aptitudine vel ineptitudine ingenii Mathematici ad speculationes Metaphysicas; b) miserum pro certitudine Mathematica argumentum a defectu controversiarum petitum; c) fallacias & errores in demonstrationibus Mathematicis æque ac in aliis reperiundos, discrimen methodi sive externi schematis, sæpe tædiosi in ipsa Mathesi, a demonstratione sive probandi nervo; nimium in probando, Propositiones identicas, vacuos characteres & terminos, aliaque, quæ Mathematicis nonnullis exprobrantur, de quibus omnibus alia agemus occasione. d)

- a) quod nimium faciunt Rudigeriani, v. Poppii Spinozismus detectus: maxima controversiæ pars est Logomachia: post Physicam Mathesi plurimum debere Logicam, historia hujus disciplinæ docet.  
 b) Anonymus in Harmonia recentiorum Philosophorum secum pugnante p. 96. quæstionem hanc movit, prolato loco Cartesii ex Epist. 33. Part. 2. cum quo conf. §. 861. Metaphysicæ Wolffianæ, citatus a Walthero in Erceffneten Eleatischen Græbern p. 33. edit. post. & alius locus e præf. Metaph. repetitus in D. Joach. Langii *ausführl. Entdeckung* p. 266.  
 c) resolvitur enim in Præjudicium consensus & autoritatis.  
 d) forte peculiari diff. de Methodo Mathematica, vid. interim Croufaz Logicæ Gallicæ p. 96, 1348, 1382, edit. secundæ.

§. VII.